

sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum; arg. §. Sub conditione 4. Instit. de verb. obligat. & l. Unico §. Sin autem, Cod. de caducitat. tollend. Suspenditur enim eius valor usque ad eventum conditionis, l. Is cui, ff. de actionib. & obligationib. l. Legata sub conditione, ff. de condition. & demonstrat. & ratio est, quia actus agentium non operantur ultra intentionem, & voluntatem eorum, l. Omnis 19. ff. de rebus creditis, Si certum petatur, & de Conditione. (Vid. l. i. C. pag. 177. num. 45. & l. i. B. pag. 335. num. 29.)

4 Tertio cessat, & extinguitur obligatio voti quando materia ex possibili fit impossibilis, ex licita illicita, ex bona indifferens, aut maioris boni impeditiva. Communis, per text. in l. pluribus 140. §. 2. ff. de verb. obligationib. ibi: Et si placet extingui obligationem, si in eum casum incidit, a quo incipere non potest, & l. Impossibilium 184. ff. de Regul. Jur. ibi: Impossibilium nulla est obligatio, & cap. Nemo potest 6. de Regul. Juris in 6. ibi: Nemo potest ad impossibilia obligari. De Jure enim illud tantum possibile, & fieri posse censetur, quod licite fieri potest, cap. Fraternalitas 15. caus. 22. quasi. 2. juncta Glossa ibid. verb. Quod potest. Immo votum conceptum de re impossibili, aut illicita, non obligat, etiam si postea fiat possibile, aut licita, textu expresso in l. Quod initio 29. de Regul. Juris, cap. Non firmatur 18. de Regul. Juris in 6. ibi: Non firmatur tractu temporis, quoad de jure ab initio non subsistit. (Vide in omni genere. Contra hunc.)

6 Quarto cessat, & extinguitur obligatio quando postea tam notabilis rerum mutatio accidit, vel specialis, vel inopinatus casus occurrit, ut rationabiliter præsumi possit votentis intentionem, ad ejusmodi eventum, sive casum specialem non se extendisse, sed excepturam fuisse, si in mentem venisset, aut de eo interrogatus fuisset. Actus enim agentium non operantur ultra intentionem & voluntatem eorum, l. Non omnis 19. ff. de rebus creditis, Si certum petatur, & de conditione. Sic Communis Doctores, arg. cap. In generali concessione 71. de Regul. Juris in 6. leg. Almannos 3. C. Quæ res pignori obligari possunt, cum similibus. Unde qui vovit certam jejunia &c. superveniente postea gravi, & incurabili infirmitate, senectute, &c. non obligatur ad impletionem voti, quia sicuti gravis & incurabilis infirmitas, & senectus excusat ab obligatione præcepti ecclesiastici de jejuniis, ita etiam excusat ab observatione jejunii promissum. Item qui vovit magnam elemosinam, ecclesiam, seu altare edificare, superveniente postea inopinata gravi depauperatione, non obligatur ad votum durante tali pauperate, cum adimpleto voti pro tunc sit moraliter impossibilis; Obligaretur autem ad dictum votum, si postea ad meliorem fortunam rediret, cap. Quod super 8. §. Unde credimus distinguendum, de Voto. Et id etiam in civilibus debitis observandum esse, expresse statuitur in §. Ultimo Instit. de actionibus, l. Is qui 4. & l. Qui bonis suis 6. ff. de cessione bonorum, cum similibus. (Vid. Sup.)

7 Quinto cessat, & extinguitur obligatio voti, quando est jam elapsam tempus, quod Vovens determinavit, ob specialem devotionem, seu circumstantiam talis temporis, & sic illud determinavit causa obligationis restringendæ, & finiendæ. Vide supra art. 1. num. 57. Sexto autem quando determinavit tempus, non intuitu ad ipsum tempus, nec ob specialem devotionem, seu circumstantiam talis temporis, sed solum ratione ipsius voti adimplendi. Vide ibid. num. 38.

8 Sexto cessat, & extinguitur ipso jure omne votum sive reale, sive personale, sive in sæculo, sive in Novitatu emissum; etiam reservatum Summo Pontifici, eo ipso quod quis in Religione approbata solemnem professionem emittit, quamvis Vovens nullam habeat tunc intentionem illud commutandi, & de hoc nihil penitus cogit. Habetur clare ex cap. Scriptura 4. de voto, & sic tenent Sanchez lib. 5. moral. cap. 5. num. 38. & seq. Felix Potest. 1. p. 2. num. 1920. & seq. Pirhing. lib. 3. Decretal. tit. 34. num. 27. & seq. & ipso teste alii communiter.

Non extinguntur tamen per professionem Religiosam vota realia à tertio acceptata, quia acceptatio facit ea transire in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde non est Deo gratum obsequium, si quid ei promittitur cum præjudicio juris alterius, seu injuria erga alium, ob quam causam talia votum neque per commutationem, vel dispensationem ordinarie relaxari possunt. Communis.

9 Irritatio voti (quæ est secundus modus, per quem tollitur obligatio votorum) est ablatio obligationis ejusdem facta per personam facultatem dominativam in Votentem, vel in materiam voti habentem. Est in re Communis.

10 Irritatio differt à dispensatione, quia Irritatio est ablatio obligationis voti facta nomine proprio per potestatem dominativam; Dispensatio vero est ablatio obligationis voti facta nomine alieno per potestatem jurisdictionis, in quantum scilicet nomine Dei, qui potestatem jurisdictionis dat quibusdam personis ecclesiasticis ad tollendam cum justa causa voti obligationem, ea jurisdictione tales personæ ad id ununtur. Item quia Irritatio fieri potest etiam à persona laicali, Dispensatio vero solum à persona ecclesiastica. Item quia Irritatio sine justa causa est quidem illicita, sed tamen valida, cum fiat ratione domini, & nomine proprio; vota enim emittuntur cum tacita conditione consensus personæ habentis in Votentem, aut in rem votam dominium; Dispensatio autem sine justa causa, nedum est illicita sed etiam invalida, cum fiat solum ratione jurisdictionis, & nomine Dei, qui non approbat solutionem Voti sine justa causa factam. Vid. infra num. 59.

11 Irritatio, & Dispensatio differunt à Commutatione, quia Irritatio, & Dispensatio pura, & propria tollunt penitus omnem obligationem indirecte, vel directe profectam ex voto; Commutatio vero non tollit omnem obligationem, sed relinquit obligationem faciendi aliquid loco illius, quod remissum fuit, ut patet ex infra dicendis de commutatione. Dicitur autem notanter Dispensatio pura, & propria ad distinctionem Dispensationum Matrimonialium, aliarumque simillium, quæ vel à Dataria, aut à Penitentiaria Romana solent expediri, quia istæ non sunt pure dispensationes, sed mixtæ cum Commutatione, & sæpe valde onerosa, ut eas legenti patet.

12 Irritatio est duplex, directa, & indirecta. Irritatio directa est illa, quæ fit per personam habentem potestatem dominativam in voluntatem Votentis; Irritatio vero indirecta est illa, quæ fit per personam habentem potestatem, seu jurisdictionem non in voluntatem Votentis, sed solum in materiam Voti. Sic in re Communis Doctores.

13 Unde vota directe irritare, est, personam habentem potestatem dominativam in voluntatem Votentis velle, & pronuntiare, ut illius vota nulla taliter sint, ut nullo unquam casu eorum obligatio postea reviviscat. Vota enim directe irritata nunquam reviviscunt, quia sunt extincta in radice. Irritare autem vota indirecte nihil aliud est, quam personam habentem potestatem in materia voti, ejus obligationem suspendere (in quantum suo juri præjudicatur) donec desinat ipsi præjudicium afferre. Nemo enim potest aliter promittere aliquid in præjudicium tertii. Unde vota indirecte tantum irritata reviviscunt, quando desinat præjudicium afferre: Sicque eorum obligatio non est in perpetuum ablata, sed solum ad tempus suspensa. Vide infra num. 56.

14 Vota directe irritare possunt omnes, & soli illi qui habent potestatem dominativam in voluntatem Votentem. Communis, arg. cap. Puella 2. caus. 20. quasi. 2. cap. Mulier in caus. 33. quasi. 2. cap. Manifestum est 11. caus. 33. q. 5. c. Si quis 2. de Regularibus, cum similibus.

15 Hinc patet potest irritare directe omnia vota etiam Castitatis, & Religionis à Filiis impuberibus emissa. Communis, per text. in cap. 20. Numeri, cap. Puella 2. caus. 10. q. 2. ibi: Puella si ante 12. annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim Parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum & diem dissimulando consenserint,

alterius nec ipsi nec ipsa mutare hoc poterunt, c. Mulier 14. caus. 32. q. 2. c. Manifestum est 11. caus. 33. q. 5. c. Si quis 2. de Regularibus, cum similibus. Et ratio est, quia filii impuberes in illa tenent ætate ob rationis, iudicii, & discretionis imbecillitatem patris, voluntate & auctoritate de ipso jure natura regendi sunt, adeoque in omnibus eorum votis, juramentis, pactis ac promissionibus quibuscumque semper intelligenda est tacita hæc conditio: Si pater consentiat, aut non contradicat.

16 En verba, quæ habentur caus. 20. quasi. 2. can. Puella: Puella si ante 12. annos ætatis sponte sua sacrum sibi velamen assumpserit, possunt statim Parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum, & diem dissimulando consenserint, ulterius nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt.

17 Poterat Theologus votum integrum rescribere illi Can. Puella, prosequendo ut ibi, nempe: Si vero in fortiori ætate adolescentula, vel adolescenta seroite Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi. Ubi ly in fortiori ætate explicat Glossa, id est, post annos pubertatis. Cum enim ego in mea conclusione loquar de votis emissis à filiis impuberibus, & pubertatis non eodem tempore incipiat in feminis, & in masculis; in illis scilicet incipiendo ut plurimum post annos duodecim completos; & in istis solummodo post annos quatuordecim itidem completos, per text. expressum in l. ultima Cod. Quando tutores esse desinant, ibi: Jubemus quemadmodum fœmine post impletor 12. annos omnimode pubescere judicentur, & ita maiores post excessum 14. annorum puberes existimantur. (Vid. verb. Tutela). Erat etiam referendus reliquus omissus Canonis textus, ut sic Lectores facilius perciperent hanc differentiam, quod licet parentes possint irritare vota à filiabus emissa ante annos 13. completos, non possunt tamen irritare vota filiorum, nisi fuerint ab ipsis emissa ante annos 14. completos, cum solum in ipsis in tali ætate incipiat ordinare pubertatis, & ante ipsos 14. annos completos censentur adhuc impuberes diversimode ac fœmine, quæ solum ante annos 12. completos censentur ordinare impuberes, statim post ipsos habentur ut puberes, ubi filii, ut supra, non habentur ut puberes, nisi post 14. annos completos.

18 Pater potest irritare directe quodcumque votum filii impuberis in ipsa impubertate editum, non solum durante impubertate, sed etiam postea quocumque tempore pubertatis. Dummodo filius factus pubes illud votum non confirmaverit, aut ratificaverit. Reiff. lib. 3. Decret. tit. 34. num. 13. Felix Potest. tom. 1. part. 2. num. 2980. Sporer tom. 1. tract. 3. in 2. præcep. decalog. cap. 2. n. 21. testans de communi cum Navarr. Lessio, Suarez, Sanchez, Gobat, & alii contra Sotum, & paucos alios. Et ratio est, quia potestas irritativa fundatur in imperfectione ætatis, ac iudicii, sub qua fuit votum ab initio emissum, adeoque cum dictum votum ab initio fuerit infirmum, & irritabile, manet tale donec novam aliam firmitatem per confirmationem, seu ratificationem tempore pubertatis acquirat, argum. cap. Non firmatur 18. de Regulis Juris in 6. ibi: Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit.

19 Autem confirmatio, seu ratificatio voti in pubertate facta novam, & veram obligationem inducat, ita ut à patre amplius irritari non possit, tria requiruntur. Primum, ut pubes ratificans, seu confirmans votum vere sciat votum prius à se in impubertate editum, infirmum fuisse, debile, ac irritabile. Secundum, ut pubes velit de novo se obligare firmiter perinde, ac si nunquam se obligasset. Tertium, ut pubes ita dispositus voce, vel saltem mente, votum infirmum, ac debile repetat, aut certe approbet: alioquin nisi hæc tria concurrant, manebit præteritum ipsius votum prorsus eodem modo, quo antea erat, & ipsa confirmatio, seu ratificatio, sicut sola ejusdem præteriti voti renovatio, seu repetitio, quæ novam obligationem non inducit, sed votum, uti erat prius, relinquit, cum similibus renovatio, seu repetitio nihil aliud sit, quam prius vinculum, uti erat, approbare, & non de novo inducere, & suscipere. Reiffensuel loc. cit. num. 14. & 15. Sporer loc. cit. n. 22. Tambur. lib. 3. cap. 18. num. 15. de obligatione Voti, Felix

Potestas loc. cit. num. 1984. testans de communi; Gobat de Votis cap. 6. num. 176. ubi assert ad id singularem casum merito ibi legendum.

20 Si quis vero immemor sui voti infirmi, debilis, & irritabilis verb. grat. Castitatis perpetuæ in impubertate editi, votum Castitatis perpetuæ post pubertatem emittat, tunc tale votum erit omnino firmum, & reservatum, nec à patre irritari poterit, quia est votum omnino à priori distinctum, & independens ab illo, cum pro tempore, quo Vovens emittit posterius, nullimode recorderetur prioris. Communis.

21 In defectu patris vota filii impuberis, seu pupilli, potest directe irritare Tutor, quia Tutor respectu pupilli loco patris succedit. Communis. Et in defectu patris, & tutoris vota filii impuberis potest directe irritare mater, etiam si tutrix non sit, quia in defectu patris, tutoris, ac ascendentium, ad matrem ipso jure natura hæc cura spectat, ut filium loco patris gubernet, eique loco tutoris sit, quando alius non est, qui imbecillitati impuberis consulat. Suar. de Voto lib. 6. cap. 6. num. 22. Henno tom. 1. tract. in Decalog. disp. 2. q. 4. conclus. 2. resolut. 8. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 7. num. 10. Sanchez lib. 5. moral. cap. 35. num. 81. Busemb. lib. 3. part. 1. cap. 3. dub. 6. art. 1. num. 1. Sporer loc. cit. num. 24. & alii. Quamvis tamen plures alii non improbabiler vellent non posse matrem directe irritare vota filii impuberis, nisi sit tutrix; Unde recte ait Henno l. c. quod mater tutrix ageret, si tunc postularet à Judice designari filiorum tutrix (Vid. præmatica verb. Exhereditatio, & verb. Tutela).

22 Vota Religiosorum Professorum directe irritare possunt, præter Papam, Superiores, Generales, Provinciales & Locales. Communis per text. in cap. Puella 2. caus. 20. q. 2. c. Monacho 2. cad. caus. 2. q. 4. cap. Mulier 14. caus. 32. q. 2. cap. Manifestum est 11. caus. 33. quasi. 5. cap. Si quis 2. de Regularibus, cum similibus. Et ratio est, quia cum Religiosi non habeant nec velle, nec nolle, & omnino dependeat à voluntate suorum Superiorum, ut expresse habetur in cap. Si Religiosus 27. de election. in 6. cap. Religiosus 2. de Testamentis in 6. cap. Religiosus 5. de sepulchris in 6. in omnibus eorum votis, ac promissionibus quibuscumque ex communi sensu, & usu Ecclesie, ac interpretatione juris, intelligitur semper tacita conditio: Nisi Superior contradixerit. Unde in cit. cap. Monacho 2. caus. 20. q. 4. cap. expresse dicitur: Monacho non licet votum vivere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit.

23 Ad etiam extenditur probabiliter ad Abbatissas, Priorissas, seu Superiorissas Monialium, nam his etiam subditæ vovent Obediendum. Reiffensuel loc. cit. num. 9. Sporer loc. cit. num. 16. Suarez lib. 6. de voto c. 7. n. 19. Busembaum loc. cit. num. 2. Felix Potest. 1. part. 1. num. 1969. & alii plures.

24 Non possunt tamen Superiores Regulares irritare vota subditorum transeundi ad Religionem strictiorem, quia quoad hunc transitum Religiosi sunt subditi tantum Summo Pontifici, cum talis transitus sit eis etiam invidis suis Superioribus de jure concessus, textu expresso in cap. Licet 18. de Regularibus. Sic Communis Doctores.

25 Nec Prælati inferior potest directe irritare vota subditi à Prælati majore ratificatum. Communis, arg. cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de majoribus, & obediens. Clement. Ne Romani, de election. Bene tamen è contra votum ex licentia Superioris subordinati emissum directe irritari potest à Superiore majore, cum subditus, & Superior subordinatus teneatur se semper conformare voluntati Superioris majoris.

26 Nec possunt Superiores Regulares directe irritare vota Novitiorum tam personalia, quam realia, sive in ipso Novitatu, sive antea emissa: Communis. Et ratio est, quia Novitii nondum per votum obediens sunt subditi potestati dominativæ Superiorum quoad voluntatem, & actiones suas, sed absolute sunt sui juris. Unde Superiores possunt solum didicorum Novitiorum vota irritare indirecte, vel potius suspendere, quatenus eorum gubernationi, & exercitiis probationis, pro quibus

bus se dicit Superioribus sponte subiuncti, impedimen-  
 27 to, & prejudicio sunt. Hinc si Novitiū a Religione egre-  
 28 dantur, reviviscit obligatio dictorum suorum votorum,  
 cum per dictam irrotationem indirectam non fuerint ex-  
 tincta; sed solum pro interim suspensa; Si vero profes-  
 sionem solemnem emittant, omnia eorum vota persona-  
 lia, sive in seculo, sive in Novitiū emissa penitus ex-  
 tinguntur, juxta dicta supra num. 8. & realia, sicut  
 alia debita ad heredes transeunt, præsertim si fuerint  
 a tertio jam acceptata, cum acceptatio faciat ea transi-  
 re in contractum, per quem jus parti acquiritur. Unde  
 ipsa vota realia a tertio acceptata non extinguuntur per  
 professionem Religionis, juxta dicta supra num. 6. &  
 tenent Pirhing. lib. 4. Decretal. tit. 34. num. 28. Sporer  
 loc. cit. num. 28. & alii passim.

30 Qui habet facultatem irritandi vota directe per po-  
 testatem dominativam in ipsam Personam, vel volun-  
 tatem Vovens, ut Superior respectu Religiosi, pater  
 respectu filii, tutor respectu pupilli, potest valide irritare  
 dicta vota, quamvis de ejus licentia, & approbatione  
 fuerint emissa. Communis. Et ratio est, quia dando licen-  
 tiam presentis consensu non censetur se privasse jure  
 suo & potestate plene dominativa in ipsam personam,  
 vel voluntatem Vovens, cujus vota semper habent an-  
 nexam conditionem: Si Superior non contradixerit.

31 Immo qui habet facultatem irritandi vota directe per  
 dictam potestatem dominativam in Personam, vel volun-  
 tatem Vovens, potest adhuc valide irritare ejus vota,  
 quamvis licentiam vovendi concesserit cum expres-  
 sa promissione non revocandi, neque irritandi dicta vo-  
 ta permissa, vel quomodolibet approbata, teste Sporer  
 loc. cit. num. 30. Et ratio est, quia ut dicit ipse Sporer,  
 Superior, vel Pater, aut Tutor etiam per illam promissionem  
 non se abdicavit, immo non potuit se abdicare  
 sua potestate, quam a natura, vel jure communi habet in  
 Religiosum, vel Filium, aut Pupillum, non obstante  
 etiam illa promissione, adhuc valide irritare poterit: se-  
 cus autem est dicendum ut infra patebit, de iis, qui in-  
 directe et tantum, ac ratione materis possunt irritare vota  
 aliorum.

32 Vota emissa de licentia antecessoris Superioris, Tu-  
 toris &c. possunt directe irritari a Successore habente  
 æqualem potestatem, quamvis licentia ab antecessore  
 concessa fuerit cum promissione non revocandi. Commu-  
 nis. Et ratio est, quia antecessor non potuit sui æqualis  
 Successoris juri præjudicare, cum par in parem non ha-  
 beat imperium, cap. Innotuit 20. de election. §. Quamvis,  
 cap. Exiit 3. de verb. significat. in 6. §. Ceterum sanctæ  
 memorie: (Lit. E pag. 347. num. 20.)

33 Vota uxoris posse directe irritari a marito, sicuti di-  
 recte irritari possunt vota Religiosorum a suis Superio-  
 ribus, vota filiorum impuberum a suis patribus, & vo-  
 ta pupillorum a suis tutoribus veteri probabilius defendunt  
 Sotus, Rosella, Angles, Aragonius, aliisque ci-  
 tatis Sanchez lib. 4. moral. cap. 34. num. 3. Et id probabile  
 etiam censent Bonacin. Lessius, Tambur. & alii. Et  
 ratio est, quia voluntas uxoris videtur esse plene sub-  
 jecta dominio Mariti secundum Apostolum ad Ephesios  
 cap. 5. num. 22. ibi: Mulieris viri sicut subditæ sint, sicut  
 caput est Ecclesie, & ad rem facit lex illa Numer. c. 39.  
 ibi: Uxor in domo Viri sui cum se voto obstrinxerit, vel  
 juramento, si audivit vir ejus, & tacuerit, nec contradix-  
 erit sponsoni, reddet quodcumque promiserit, & in autem  
 exemplo contradixerit, non tenebitur promissionis verba,  
 quia Maritus contradixit.

34 At vero communis & probabilior est sententia con-  
 traria, quam defendunt Innocentius in cap. Scriptura de  
 de voto, Suarez lib. 6. de voto, cap. 4. Layman lib. 4.  
 tract. 4. cap. 7. num. 12. Reiffensuel lib. 2. Decretal.  
 tit. 34. num. 17. La Croix lib. 3. part. 1. num. 493. etiam  
 S. Anton. Navarr. Azorio, Valent. Lessio, Bonacin.  
 Castropal. Illung. & alii ibi citatis, Sporer loc. cit.  
 num. 27. vocans hanc communem. Et ratio est, quia  
 multo jure probari potest quod uxores simpliciter, & ab-  
 solute in omnibus subiectæ sint maritis, ut subditi Re-  
 ligiosi suis Superioribus, & filii impuberes parentibus,

ac pupilli tutoribus, sed solum in his, quæ concernunt  
 & tangunt usum Matrimonii, educationem proli, &  
 administrationem familiæ, uti recte observant Doctores  
 citati in hoc sensu intelligentes alios Scripturæ textus  
 pro alia sententia. Nec enim dicendum est, uxores sub-  
 jecti maritis Jure naturali, aut gentium, quali voluntas  
 filiorum impuberum subiecta est eorum patribus, & vo-  
 luntas pupillorum suis tutoribus, quia uxores longe ma-  
 jorem rationis discretionem obtinent, quàm impuberes;  
 alioquin si ipsæ non essent uxorate, semper tutoribus  
 essent subiectæ quasi perpetuo impuberes, quod non  
 est dicendum. Nec dicendum est ipsas sic subiecti suis  
 maritis Jure positivo, cum nullum tale Jus reperitur,  
 unde mariti non possunt irritare vota uxorum directe,  
 sed solummodo indirecte ut infra dicitur.

35 Domini nequeunt vota servorum irritare per se di-  
 recte, sed solum indirecte, & per accidens, quatenus  
 obligationi servitutis, & famularis, ac Juri quod in ser-  
 vis habent ipsi domini, officium, & præjudicant, uti in-  
 fra patebit. Sic in re communis. Doctores.

36 Papa nequit directe irritare vota Christianorum. San-  
 chez lib. 4. moral. cap. 24. n. 17. Castropal. d. 2. part. 2.  
 num. 2. Leander de voto tract. 1. disp. 16. §. 2. quest. 8.  
 Layman lib. 4. tract. 4. cap. 7. num. 8. cum aliis ibi cita-  
 tis, La Croix lib. 3. part. 1. num. 484. & ipso teste alii  
 communiter. Et ratio est, quia Papa non habet potes-  
 tatem dominativam in omnes Christianos, cum hæc non  
 sit ei necessaria ad Ecclesie Catholice gubernationem,  
 sed ei sufficit potestas suprema Jurisdictionis, media  
 qua pro exigentia Ecclesie regimini potest vota fide-  
 lium dispensare, vel commutare, seu eorum executio-  
 nem impedire per potestatem præceptivam, aut saltem  
 valorem votorum impedire antequam fiant, alioquin  
 nullus homo. posse se obligare alteri homini, nisi sub  
 conditione: Si Papa consenserit, quod non est dicendum,  
 unde Papa potest solum ipsa vota Christianorum irritare  
 indirecte ratione materie, ut infra dicitur.

37 Neque Papa potest directe irritare vota Clericorum  
 Secularium, quia neque in illis habet potestatem domi-  
 nativam, sed solum indirecte quatenus Ecclesie ho-  
 no, cujus ille supremam Jurisdictionem habet ac cu-  
 ram gerit, præjudicant adferre possunt, ut infra  
 patebit. Communis, multis tractatibus, uti in  
 Potest tamen Papa directe irritare vota Religioso-  
 rum, & Monialium. Communis. Et ratio est, quia Papa  
 est omnium caput, & Regularium omnium etiam Præ-  
 latorum Generalis, ac Supremus Prælator, & Superior,  
 cui principaliter Religiose Obedientia Professio concipitur,  
 & nominè, ac concessione illius a Superioribus  
 Regularibus acceptatur, adeoque cum sic potestatem  
 dominativam habeat in omnes Religiosos, poterit direc-  
 te eorum vota irritare.

38 Vota indirecte irritare possunt omnes qui ipsa pos-  
 sunt irritare directe. Communis. Cui enim licet quod est  
 plus, licet utique quod est minus, textu expresso in cap.  
 Cui licet 53. de Regul. Jur. in 6. & plus semper in se  
 continet quod est minus, cap. Plus 35. de Regul. Jur.  
 in 6. l. In eo quod plus 110. ff. de Reg. Jur. Et ubi ma-  
 jus conceditur, minus concessum esse videtur, textu  
 expresso in cap. Ex parte 27. de decimis. (Vid. lit. B.  
 pag. 437. num. 36.)

39 Unde Papa potest irritare indirecte nedum Vota  
 Religiosorum, & Monialium, & Clericorum Secula-  
 rium circa res ecclesiasticas, & circa concordantia ad  
 illas, sed etiam vota aliorum omnium Christianidelum  
 ratione materie, quatenus potest per potestatem præ-  
 ceptivam votorum executionem impedire in quantum  
 Ecclesie bono, quibus ille supremam habet Jurisdictionem,  
 & curam gerit, præjudicant adferre possunt.  
 Communis, etiam tractatibus, uti in  
 Episcopi alique Ecclesiastici Prælati possunt indi-  
 recte irritare vota suorum subditorum, quando mate-  
 ria illis præjudicat in eorum regimine, gubernatione, &  
 administratione. Communis, uti in  
 Superiores & Superiorissæ Regulares possunt indi-  
 recte irritare vota simplicia Religiosorum præjudi-  
 cantia sui Jurisdictionis, Regimini, ac disciplinae Re-

gulari. Communis. Immo nedum Religiosorum Professo-  
 rum, sed etiam Novitorum vota indirecte irritare pos-  
 sunt in his, quæ eorum gubernationi, & exercitiis pro-  
 bationis, seu Novitiatus adversantur. Communis.

40 Pater indirecte irritare potest vota filiorum puberum  
 etiam post pubertatem emissa, quatenus præjudicant li-  
 bera patris potestati in libera, & expedita familiæ rerum-  
 que suarum administratione. Non sic autem vota filio-  
 rum puberum, quæ potestati, & gubernationi paternæ  
 non præjudicant ullo modo, quamvis dicti filii puberes  
 sint adhuc sub patria potestate. Unde licet pater possit  
 irritare vota filiorum de longis peregrinationibus, de  
 multis jejuniis, de dando elemosynam ex bonis pater-  
 nis &c. ex quibus oriri potest præjudicium paternæ po-  
 testati in familiæ regimine, & rerum suarum adminis-  
 tratione; non tamen irritare potest filiorum puberum vo-  
 ta Religiosis, Castitatis, Sacrorum Ordinum, Confes-  
 sionis, & Communionis menstruæ, nec vota de dando  
 elemosynam de suis bonis castrensibus, ac quasi cas-  
 trensibus, si quæ habeant. Communis.

41 In defectu patris potest vota filiorum puberum indi-  
 recte irritare Curator: Curator enim loco patris succe-  
 dit, unde potest vota Minorum concernentia bona  
 temporalia, vel præjudicantia administrationi suæ irri-  
 tare. Communis.

42 In defectu Patris, vel Curatoris potest vota filiorum  
 puberum indirecte irritare mater, quamvis ipsa non ins-  
 titueret Curatrix, quia in defectu Patris, Curatoris,  
 ac Ascendentium, ad matrem ipso Jure nature hæc cura  
 spectat, ut filios loco Patris, ac Curatoris gubernet,  
 adeoque ipsa sicuti Curator indirecte irritare poterit vota  
 realia filiorum puberum suæ gubernationi præjudican-  
 tia. Tambur. lib. 3. c. 16. §. 3. num. 23. Henno tom. 1.  
 disp. 2. in Decalog. q. 3. art. 4. concl. 2. resol. 8. Sporer  
 l. c. n. 24. Busem. l. c. art. 2. n. 1. & alii contra alios  
 volentes non improbabiliter non posse matrem indirecte  
 irritare vota filiorum puberum, nisi instituta sit eorum  
 Curatrix, unde recte ait Henno loc. cit. quod mater  
 tutius ageret, si tunc postularet a Judice designa-  
 ti filiorum puberum Curatrix.

43 Maritus potest indirecte irritare uxoris vota, quæ  
 ratione materie præjudicant familiæ, proli, debito con-  
 jugali, aut rei domesticæ. Communis ac certa, arg. cap.  
 Si dicat 1. cap. Mulier 3. cap. Quod Deo 4. caus. 33.  
 q. 5. cum similibus. Et ratio est, quia mulier subiecta est  
 potestati mariti in debito conjugali, sicuti etiam in iis,  
 quæ rectam familiæ gubernationem, & rei domesticæ  
 administrationem concernunt, juxta illud ad Ephesios 5.  
 ibi: Mulieris viri suis subiectæ sint sicut Domino, &  
 concordat cap. Mulierum 17. & cap. Adam 18. caus. 33.  
 q. 5. cum similibus. Dummodo tamen talia vota fuerint  
 ab uxore tempore Matrimonii emissa, quia vota ante  
 illud edita potest quidem maritus suspendere, si rectæ  
 familiæ gubernationi, ac rei domesticæ administrationi  
 præjudicent, non tamen penitus irritare. Communis. Item  
 nec potest maritus irritare vota illa ab uxore etiam tem-  
 pore Matrimonii edita, quæ supradictis nullum præju-  
 dicium adferunt, ut sunt vota non ludendi, Sacramenta  
 frequentandi, moderate jejunandi, elemosinas de bonis  
 paraphernalibus faciendi &c. Communis. Vide verb.  
 Maritus num. 3. 4. & 5.

44 Uxor potest indirecte irritare vota sui mariti Juri  
 matrimoniali, & mutæ cohabitationi præjudicialia,  
 v. g. abstinentiam immoderatam, preces continuas, longam  
 peregrinationem; nisi tamen esset peregrinatio  
 Hierosolymitana in subsidium Terræ Sanctæ, quæ ex-  
 presse explicitur in cap. Ex multa 9. de Voto. Item uxor  
 potest irritare vota mariti de suscipiendo habitu Ere-  
 mitæ, seu Tertii Ordinis alicujus Religionis, & hujus-  
 modi, quia illa, & similia impediunt, vel retrahunt uxorem  
 a debiti petitione. Communis. Et ratio est, quia  
 uxor in his potestatem habet in maritum, juxta illud  
 Apost. 1. ad Corinth. cap. 9. ibi: Vir potestatem sui cor-  
 poris non habet, sed uxor.

45 Si maritus, & uxor ex mutuo consensu emittant votum  
 continentiam, non potest amplius nec mutua, nec  
 alterius conjugis contradictione irritari. Communis, per

clarum textum in cap. Quod Deo 4. caus. 33. quest. 5.  
 ubi ex verbis S. Augustini sic expresse habetur: Quod  
 Deo pari consensu voveratis, perseveranter atque in fi-  
 nem reddere debuistis, a quo propositio, si ille lapsus est,  
 tu saltem instantissime persevera. Et ratio est, quia sic  
 uterque in ordine ad debiti petitionem, aut redditionem  
 Juri suo cessit, cui Juri uterque potuit libere cedere,  
 cum liberum sit unicuique Juri suo renuntiare, textu  
 expresso in cap. Si de terra 6. de privileg. & l. Si quis  
 in conscribendo 29. C. de pactis. Unde in tali casu solum  
 per legitimam Superioris dispensationem ad debiti peti-  
 tionem & redditionem restitui possunt in casu urgentis  
 necessitatis. (Lit. R pag. 184. num. 29.)

46 Domini irritare possunt indirecte solum illa servorum  
 vota, quæ præjudicant obligationi servitutis & famula-  
 tus, ac Juri, quod in ipsos servos domini habent; non  
 autem illa, quæ nullatenus eorum obsequio, famula-  
 tum, aut Juri officium, uti sunt vota servandi Castita-  
 tem, frequentandi Sacramenta, elemosinas de proprio  
 peculio faciendi, & hujusmodi. Communis. Et ratio est,  
 quia præcise in rebus servitium ac obsequium concer-  
 nentibus domini & domina dominatur servis, & ancillis.  
 Vota servorum edita ante servitutem, seu durate  
 servitute, implenda tamen seu implebilis post servitute-  
 m, suspenduntur quidem durante servitute, & finita  
 servitute sine dubio convalescunt, & servanda sunt;  
 Unde a Dominis irritari non possunt. Communis.

47 Ad voti irrotationem validam nulla requiritur causa,  
 ad licitam autem aliqua justa causa requiritur. Commu-  
 nis. Et ratio primæ partis est, quia in voto inferioris intel-  
 ligitur semper tacita conditio si Superior consenserit, unde  
 ubi ille dissentit, votum evanescit. Ratio vero secundæ  
 partis conclusionis est, quia unusquisque tenetur uti po-  
 testate sibi concessa ad Dei gloriam, Dei autem gloria postulat,  
 ut votum non irritetur sine justa aliqua causa, cum  
 Deus sit per votum illud colendus, adeoque &c. Unde si  
 sine ulla penitus causa (quæ etiam sine posset sufficere)  
 irritatum votum, tam Superior irritans, quam inferior irri-  
 tationem exigens peccant ad minus venialiter, quia auserunt  
 Deo cultum per illud votum ipsi exhibendum. Si au-  
 tem Superior votum cum sua licentia aut approbatione  
 ab inferiore emissum sine ulla justa causa irritet, tam ipse,  
 quam inferior talem irrotationem postulans peccat gravi-  
 ter, & maxime si præcesserit promissio non revocandi.  
 Colligitur clare ex Num. 30. ubi de viro, qui taciturnitate  
 sua voto uxoris consensum dat, & postea contradicit,  
 seu illud irritat, expresse dicitur, quod portabit  
 ipse iniquitatem ejus, id est, ut explicat Lyranus, Abulensis,  
 Olearter, & alii, panam iniquitatis, per quam  
 intelligitur peccatum grave, cum veniale non soleat venire  
 nomine iniquitatis.

48 Sanctus Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. inquit: Omnis  
 dispensatio petita a Prælate debet fieri in honorem  
 Christi, in cujus persona dispensat, & ad utilitatem Ecclesie,  
 que est ejus Corpus. Atque hinc vide, non levis  
 causa sufficiat ad irritanda vota. Cederet ne id in honorem  
 Christi, & in ædificationem Ecclesie?

49 Sanctus Thomas loquitur ibi de dispensatione:  
 Omnis dispensatio . . . in cujus persona dispensat: Ego  
 vero loc. cit. loquitur de irrotatione, & magna intercedit  
 differentia irrotationem inter & dispensationem, ut assigno  
 in hoc ipso articulo sub num. 11. & 59. Vide ibi,  
 & coherenter concludere.

50 Vota per se directe irritata per potestatem videlicet  
 dominativam in ipsam voluntatem Vovens, ut vota Reli-  
 giosorum irritata a Prælate, vota filii impuberis irritata a  
 patre, vota pupilli irritata a tutore non reviviscunt, postquam  
 Vovens a potestate irritantis liberatus est: sunt enim talia  
 vota extincta in radice, ut dictum est supra num. 14.  
 Sic Communis Doctores. Vota autem irritata solum  
 indirecte ratione materie, uti sunt vota Novitiis, Filii  
 impuberis, Minorennis, Uxoris, Servi, irritata a  
 Prælate, Patre, Curatore, Marito, Domino &c. manent  
 re integra, omnino reviviscunt, postquam Vovens a  
 potestate irritantis liberatus est. Sic Innocentius in cap.  
 Scriptura de voto, Suarez lib. 6. de voto cap. 1. num. 4.  
 & cap. 4. num. 17. Rosella verb. Votum 2. num. 13. Valen-

BIBLIOTECA CENTRAL

lentia 7. *disp. 6. q. 6. p. 6. difficult. 4. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 10. num. 82. Layman loc. cit. cap. 7. n. 19. Busemb. loc. cit. art. 2. num. 8. Felix Potest. loco citat. num. 1975. Sporer loc. cit. num. 35. & alii plures contra Panormitan. Cajetan. Aragon. Silvestrum, Navarrum & alios. Et ratio nostrae conclusionis est, quia vota indirecte irritant, ut dictum est *supra* num. 14. nihil aliud est, quam personam habentem potestatem in materia voti, ejus obligationem suspendere (in quantum suo Juri praepjudicatur) donec desinat ipsi praepjudicium asserere; ergo postquam Vovens a potestate talis personae irritantis liberatus est, ejus vota indirecte solum irritata quoad obligationem reviviscunt, cum eorum obligatio non sit in perpetuum ablata, sed solum ad tempus suspensa, durante nimirum subjectione, & obligatione. Vovens ad certa obsequia praestanda dictae personae irritantis, adeoque cessante hac obligatione, vota ejus antea impedita, seu suspensa, omnino reviviscunt, cum cessante ratione, & causa legis, vel obligationis, cesset lex, seu obligatio ipsa, *lex. Addivere 6. §. 2. ff. de Jurepatron. & cessante causa cesset effectus; cap. Cum cessante 60. de Appellat. (Vide *supra*).**

¶ Tum quia nostra conclusio deducitur clare ex Quidam 3. *de conversione conjugator. ubi habetur, maritum, qui invita uxore Religionem professus, & ab ea revocatus fuerat, postea uxore mortua ad Religionem quidem compellendum non esse, quia professio irrita fuit repugnante uxore, nihilominus a debito petendo, & secundis nuptiis arcendum esse; quia nimirum in professione Religionis, etsi alias defectu consensus uxoris irrita, votum continentiae virtualiter seorsim obligans manebat, ibi: Uterius vero non poterit uxorem accipere, promissum enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat, & immo quoad votum (scilicet continentiae) tenuit. Unde Glossa ibi. *verb. Non exigere sic* expressè habet: Quia quantum ad continentiam servandam satis solemniter ipse votum per suam professionem, id ipsum habetur in cap. Placet 12. *ead. de uxore, quae ignorante marito ab ipsa credito mortuo Religionem professus, & ab ea revocata fuit a marito, postea domum reverso & a Summo Pontifice declarata fuit obligata ad votum continentiae post obitum mariti, ibi: Quantum ad ipsam tenuit votum quod post Viri obitum tenere non desitit, cum ad eum casum, a quo poterat efficax habere principium, pervenire necit. Unde sic dicendum est de similibus, ut ai v. gr. Novitius vovet omni tempore vitae suae quotidie invisere sacellum B. Mariae Virginis erectum in Cathedrali, filius pubes, ac minorensis quotidie reficere quinque pauperes, uxor jejunare ter in qualibet hebdomada, servus, vel ancilla abstinere ab operibus servilibus die Sancti sui nominis, postquam dicti Voventes a potestate Irritantis liberati fuerint, redibit obligatio sui respectivi voti: Cum ad eum casum, a quo poterat efficax habere principium, pervenire necit, ut expresse dicitur in *cit. cap. Placet 12. de voto, & voti redemptione.***

58 Dispensatio voti (quae est tertius modus, per quem tollitur obligatio votorum) est ablato, seu remissio totalis obligationis ejusdem ob justam, & rationabilem causam, facta ab habente spirituales Jurisdictionem in Voventem. Est in re Communis.

59 Ex qua definitione, ut vides, clare patet quod ad dispensationem necessario requiritur aliqua justa, & rationabilis causa, aliam dispensatio sine justa, & rationabili causa a quocumque Superiore facta, esset potius dissipatio, quam dispensatio; & sic non solum erit illicita, sed etiam invalida, ut testibus Sporer *loc. cit. 1977. 3. num. 38. Reiffenstuel loc. cit. num. 20. tenent omnes Doctores. Et ratio est, quia ubi non adest justa, & rationabilis causa dispensationis, deest potestas & Jurisdictio dispensandi, potestas autem; & Jurisdictio dispensandi in votis concessa a Deo Ecclesiae, seu Praelatis Ecclesiasticis est solum cum justa & rationabili causa; cum data sit in *adificationem, & non in destructionem, ut dicit Apostolus 2. ad Corinth. cap. 10. num. 8. & cap. 13. num. 10. ubi verò deest conditio, sub qua datur dispensandi potestas, deficit ipsa potestas, consequenter & ipsa dispensatio; arg. leg. Si quis sub condi-**

tionem 8. *ff. Si quis omnia causa. Unde haec specialis inter alias intercedit differentia inter Dispensationem, & Irritationem, quod irritatio, cum nomine, & auctoritate propria fiat, est valida quamvis nulla rationabilis & justa causa votum irritandi adsit; dispensatio autem sine rationabili & justa causa est invalida, quia fit nomine alterius & quidem Superioris potestatem sine justa ac rationabili causa dispensandi numquam concedentis: adeoque dispensatio sine justa, & rationabili causa a quocumque Superiore facta, non solum est illicita, sed etiam invalida, quippe excedens potestatem homini collatam a Deo. Vide *supra* num. 11.*

¶ Praecipuae, justae, & rationabiles causae dispensandi in votis sunt quatuor sequentes, ad quas ceterae aliae commode reduci possunt. Prima scilicet est imperfecta deliberatio, seu imperfectio actus vovendi, ob quam dispensari potest in votis illorum, quia ea emittunt adhuc in tenera aetate, praesertim ante pubertatem, c. Venientes 2. *de Voto, ibi: Nos autem ipsam a voto, quod in aetate tenera facilius. potius quam ex arbitrio discretionis promissis, absolvimus. Item ob eandem causam dispensari potest in votis illorum, qui in ira, tristitia, merore, metu, aut alia mentis perturbatione oppressi, imprudenter vota emisissent, quo etiam spectat facilitas, seu levitas vovendi praesertim in feminis.*

¶ Secunda justa, & rationabilis causa dispensandi est damnum spirituale, vel temporale occasione voti proveniens, ut si votum spectata qualitate personae, ac naturae fragilitate periculum majoris ruinae adferret Voventi, & de contra dispensatio ad spirituale profectum magis cessura videatur: Sic justae ac rationabiles dispensationis votum continentiae, seu non petendi debitum in persona conjugata, votum Castitatis in persona ad carnis lapsum valde proclivi, ac fragili, & hujusmodi cum ab ipsis prudenter timeatur votum sapissime esse violandum. Item rationabiliter dispensatur cum eo, qui ratione voti multis scrupulis, & anxietatibus cruciatur, & divexatur. Item justae dispensatur cum illo, qui ex observatione voti notabile damnum patitur in sanitate corporis. Item legitime dispensatur in illis votis, quorum executio adfert Voventi, vel suis, grave aliquod damnum in bonis temporalibus, v. gr. si quis non valde dives voverit copiosas elemosynas, longas peregrinationes, aliaque similia notabiliter gravantia, & laedentia se, vel suam familiam, *arg. cap. de peregrinationis votis 1. & cap. Magnae 7. de voto & voti redemptione.*

¶ Tertia justa, & rationabilis causa dispensandi est notabilis, & valde magna difficultas exequendi votum praesertim superveniens, vel ante non praevisa, ut concedunt omnes. Immo non solum ea, quae prius incognita supervenit, sed etiam ea, quae prius jam fuit praevisa; semper enim multo difficilior apparet res, dum illius instat executio, quam dum remota, & a longe praevideatur. Unde recte ad propositum exclamatur Tamburinus *lib. 3. in decalog. cap. 16. §. 3. num. 28. O quoties dum mente, & cogitatione tantum praestamus, in quaque magna assurgimus, in quacumque pericula ruimus, ad quorum tamen primum occursum trepidamus, & tertia etiam volentes veritatem. Sic tenet Abbas in cap. Non est 5. num. 6. de Voto. Sporer, loc. cit. n. 40. Reiffenst. loc. cit. n. 23. Sanchez l. 4. moral. cap. 45. n. 41. & alii.*

¶ Quarta justa, & rationabilis causa dispensandi est bonum commune, praesertim Ecclesiae, vel Reipublicae, Sic cum unico haerede alicujus Regni, vel Ducatus justae & rationabiliter dispensatur in voto Castitatis, & Religionis, ut inde nubere possit, si praevideatur id profectum esse Reipublicae, quae aliis ob successionem in Regnum, vel Ducatum plurimum subiaceret incommodis, concuteretur bellis, vexaretur perturbationibus, depauperaretur prae donationibus, & hujusmodi. Item justae, ac rationabiliter dispensatur in voto illius, qui longam vovit peregrinationem, quem tamen multum expediret Reipublicae, aut Familiae praesto esse. *Communis, arg. cap. De peregrinationis votis 1. cap. Magnae 7. & cap. Ex multa 9. de voto, & voti redemptione.*

¶ Ad dispensandum in votis tria praecipue attendenda sunt, ut monet Innocentius III. in cap. Magnae 7. *de ve-*

to, & voti redemptione, nempe: Quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum utilitatem. Hinc quoque majus & excellentius votum est, ut castitatis perpetuae, Religionis, Peregrinationis ad loca sancta, & hujusmodi, eo major causa requiritur ad dispensationem, & ubi causa non apparet ita sufficiens ad omnino dispensandum, admiscenda est aliqua commutatio, subrogando nempe aliquod pium opus, quo Voti gravitas prudenter dispensantis iudicio compensetur. Immo quamvis apparet causa sufficiens ad dispensationem, consultum est, semper aliquam commutationem admiscere exemplo Summorum Pontificum, ut patet in cap. Venientes 2. cap. Magnae 7. cap. Quod semper 8. & cap. Ex multa 9. de voto, & voti redemptione.

55 Si dispensatio data sit cum bona fide, & postea inveniatur data sine sufficienti causa, aut sit data cum causa dubia, & deinde inveniatur data sine causa, satis probabile est, quod maneat valide. Sic cum aliis Lessius *part. 2. de Justit. cap. 4. dubit. 17. Sanchez lib. 4. moral. cap. 44. num. 10. Sporer loc. cit. num. 45. Azorius, Tamb. allicum cum Illung. apud La-Croix lib. 4. p. 1. num. 541. quamvis ipse dicat, quod alii cum Castrop. probabilis tenent non valere. Et ratio probabilis nostrae sententiae est, quia spectat ad Dei benignitatem approbare, & ratum habere quod bona fide concessum, & acceptatum fuit, quamvis revera nulliter tunc egerit dispensans. Hoc enim est privilegium bonae fidei, *arg. leg. Barbarius 2. ff. de Offic. Praetor. & suavitati regiminis Ecclesiae conformis, & humanis, Hoc enim humanitas est, ut de simili dicitur in *cit. loc. Barbarius (it. C. pag. 244. num. 36.)***

56 Dispensans scienter sine justa causa, sicuti & scienter petens, ac acceptans hujusmodi dispensationem, peccat mortaliter pro ratione materiae. *Communis. Uterque enim sibi arrogat in re gravi Jus, quod non habet; & ipsa esset potius dissipatio, quam dispensatio, cum potestas dispensandi data sit in *adificationem, & non in destructionem, ut dicit Apostolus. 2. ad Corinth. cap. 10. num. 8. & cap. 13. num. 10.**

57 Interveniens justa, ac rationabili dispensandi causa, Superior, vel quivis dispensandi facultate praeditus si rogetur, tenetur sub gravi in votis dispensare. *Communis. Et ratio est, quia potestas dispensandi est ipsi concessa ad bonum subditorum, & Reipublicae: Unde eam sine causa denegantes subditis, & Reipublicae gravem injuriam inferunt, & fiunt causa culpabilis damnorum, vel peccatorum ex negata debita dispensatione secutorum. Dispensationem enim esse debitam, quando est necessaria ad commune bonum, vel ad evitandum publicum scandalum, & ad reparandum grave damnum spirituale, vel corporale Voventis, ad procurandum majus bonum ex dispensatione proventurum, & hujusmodi, satis colligitur ex cap. Pondere 14. cap. Et purgabit 15. cap. Quia sanctitas 16. cap. Quid est 17. cap. Cum exaudiero 19. cap. Benaventures 21. cap. Si quis Presbyter 22. cap. Benavaler 23. cap. Sacerdos quidem 24. & cap. Ut constitueretur 25. dist. 50. cap. Expositus 23. de praebend. cum similibus.*

58 Papa ex justa, & rationabili causa dispensare potest in quolibet voto, tam simplicis, quam solemnis, non solum edito in susceptione Sacri Ordinis, sed etiam in Professione Religiosa. *Communis, per verba Christi Matth. cap. 16. num. 19. Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Calis. Et de facto Alexander III. dispensavit cum Nicolao Justiniano Monacho ad nubendum, & Celestinus III. dispensavit cum Constantia Moniali Professa Filia Rogerii Siciliæ Regis, ut nuberet Henrico VI. & Gregorius XIII. dispensavit cum fratre Cardinali Jojose Gallo Sacerdote professo, & Provinciali Ordinis Capuccinorum, ut ex aliis refert Fagnanus *lib. 3. Decretal. in cap. Cum ad monasterium 6. de statu Monachor. num. 66. testans etiam cum Ramiro Rege Aragonum dispensatum fuisse, ut relicta Religione, & Episcopatu, acciperet uxorem, & Regnum, & alii plures similiter dispensatum cum aliis pluribus. Unde Justus Redn. tom. 2. Operis Canonico Politici refert, quod**

Juditha fuit Monialis Ratisbonensis, & dein trium Regum conjux, scilicet Bretislav Bohemiae, Mesicani Poloniae, & Petri Hungariae. Vide *verb. Impedimenta Matrimonii art. 3. num. 3. & 4.*

Episcopi dispensare possunt potestate ordinaria in cunctis votis suorum subditorum Diocesanorum, exceptis specialiter reservatis Summo Pontifici. *Communis. Episcopi enim succedunt Apostolis, quibus dictum est a Christo Matth. cap. 18. Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in Calis.*

Item in dictis votis potest, Sede Vacante, dispensare Capitulum, seu Vicarius Capitularis, cum Sede Vacante succedat in Jurisdictione ordinaria Episcopi, *cap. His quae 11. cap. Cum olim 14. de Majoritas. & obediens. cap. Si Episcopus 3. & cap. Ecclesiae Cathedralis 4. de splend. negligent. Praelat. in cap. 6. Cum nullus 3. de temporibus Ordin. in 6. cap. Episcopali Sede univ. de majoritat. & obediens. in 6. cap. Si Capitulum 1. de institutionibus in 6. Clement. Multorum querela 1. de Haereticis, cum similibus, & sic tenet Communis Doctorem.*

Legati, seu Nuntii Apostolici dispensare possunt in dictis votis cum subditis provinciae sibi commissae. *Communis. Habent enim in ipsis ecclesiasticam jurisdictionem, a qua promanant talis facultas sic dispensandi.*

Item in dd. votis dispensare possunt cum suis subditis omnes Praelati, qui habent jurisdictionem in foro externo, vel privilegium. *Communis.*

Archiepiscopi, seu Metropolitanii possunt quidem dispensare in votis suorum suffraganeorum, sed non cum subditis eorumdem suffraganeorum, nisi per appellationem ad ipsos fuerit habitus recursus in casu, quo Episcopi talem dispensationem injuste denegarent. *Communis Doctorem, quorum aliqui, ut Avila p. 7. de censuris disp. 10. dub. 6. conclus. 1. notand. 2. Henriquez lib. 4. de Irregular. c. 18. num. 3. & alii non improbabiler id extendunt ad tempus, quo illorum Dioceses visitant; argum. cap. Ulim. de censibus in 6. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. de reform. quamvis alii teste Layman loc. cit. cap. 8. num. 7. rectius id negent, cum in d. cap. Ulim. de Censibus statuatur solum quod Archiepiscopus, dum visitat, possit eorum Confessiones audire, & absolvere, & nihil disponat de dispensatione in eorum Votis.*

Praelati Regulares Religionum exemptarum dispensare possunt in omnibus dictis votis cum suis subditis, & cum Novitiis circa vota, quae in seculo, vel Novitiatu emisissent. *Communis. Habent enim in ipsis plenam ecclesiasticam jurisdictionem: Et hoc Salmanticensis & plures alii intelligunt etiam de Superioribus localibus, cum respectu suorum subditorum habeant Jurisdictionem ordinariam in foro interno, & externo.*

Non sic autem Praelati Religionum non exemptarum nisi id eis, vel ex consuetudine, vel Episcopi licentia, seu commissione concessum sit. *Communis, teste Sporer loc. cit. num. 52.*

Nec etiam in ipsis votis dispensare possunt Abbatissae, vel Superiorissae Monialium, quae licet possint suorum subditarum vota irritare, eo quod in illas habeant potestatem Dominativam vi voti Obedientiae, ex dictis *supra* num. 23. non possunt tamen in earum votis dispensare, cum facultas sic dispensandi promanet ex jurisdictione spirituali, qua de facto caret Abbatissae, seu Superiorissae Monialium. *Sporer loc. cit. n. 52. Felix Potest. tom. 1. p. 2. n. 1696. Busemb. loc. cit. dub. 8. respons. 2. cum Suar. & Lessio ibi citatis, & alii passim.*

Confessarii Regulares approbati Ordinum Mendicantium, ac in eorum Privilegiis communicantium, possunt dispensare in omnibus votis, in quibus Jure ordinario possunt dispensare Episcopi. Unde Confessarii Regulares dispensare possunt in omnibus Votis, exceptis quinque mox adducendis Papae reservatis. *Communis, & expresse habetur ex pluribus Privilegiis Summorum Pontificum ut Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII. S. Pii V. ac aliorum, ut videre est in compendiis privilegiorum Dominicorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, ac aliorum Regularium.*

78 Vota reservata Summo Pontifici sunt quinque sequentia, nempe votum Religionis ab Ecclesia approbata, votum Castitatis integræ, & perpetuæ, votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad S. Sepulchrum, votum peregrinationis Romane ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum devotionis causa. *Communis, arg. Extravag. Etsi Dominici 5. de penitentia, & remissionibus*, ubi sub pena excommunicationis prohibetur, ne quis sine speciali licentia Papæ in aliquo dictorum quinque votorum dispenset.

79 Reservatio dictorum quinque votorum, cum sit odiosa, utpote ordinariam potestatem restringens, est omnino stricte interpretanda, *arg. cap. Odiâ 15. de Regul. juris in 6. ibi: Odiâ restringit, favores convenit ampliari*. Unde talis reservatio est intelligenda solum de votis proprie dictis perfectis, determinatis, absolutis, & quidem præcise quoad substantiam, non autem qualitates, & circumstantias eorum. Et si in aliquo deficiant, licet sint valida, non sunt tamen reservata. *Sic Doctor communis.*

80 Hinc non sunt reservata dicta quinque vota, sed dispensabilia ab Episcopo, vel Confessariis Regularibus, si non sint vota proprie dicta, id est, promissiones veræ factæ Deo: sic non sunt reservata vota, quæ sæpe sæpius emittuntur à puellis, & aliis promittentibus non Deo, sed Beatæ Virgini Mariæ, vel aliquibus Sanctis, servare in eorum honorem perpetuum castitatem, assumere peregrinationem Romanam, Compostellanam, & hujusmodi sine intentione, & reflexione obligandi se Deo. Tales enim promissiones non sunt vota proprie dicta, cum vota proprie dicta sint solum promissiones factæ Deo. Secus autem esset dicendum, si id specialiter in honorem B. Mariæ Virginis, vel alicujus Sancti voverent Deo; unde caute in his procedere debent Confessarii, & diligenter sic voverentes interrogare de vera sua intentione, & reflexione in actu similium promissionum: Et si asserant, nihil tunc cogitare de Deo, vel cogitare quidem tunc etiam de Deo, sed non cogitare de promissione faciendi ipsi, sed soli ejus marri, aut tali Sancto, tunc censendi sunt sic voverentes non fecisse votum proprie dictum, & consequenter nec reservatum. *Gobart tom. 3. caus. 10. num. 327. Sporer loc. cit. n. 58. & alii.* Si autem dubium sit, an tales intenderint tunc se obligare ipsi Deo, an solum B. Mariæ Virgini, aut tali Sancto, tunc censendi sunt fecisse verum votum ipsi Deo, adeoque reservatum: In dubio enim præsumendum est pro actu perfectione potius, quam pro defectu, & in similibus solet adesse intentio saltem implicita se obligandi Deo in honorem B. Mariæ Virginis, vel talis Sancti. *Gobart tom. 3. casu 1. num. 21. Sporer loc. cit. num. 58. & alii.*

81 Item non sunt reservata dicta vota Summo Pontifici, sed dispensabilia ab Episcopo, vel Confessariis Regularibus, si non sint omnino perfecta, ut est votum Castitatis imperfectum, nempe Castitatis solum temporalis, ut ad decem annos, votum castitatis conjugalis, Non nubendi, Non petendi debitum, Non fornicandi, & hujusmodi, quia per votum castitatis reservatum intelligitur sola castitas perfecta, & perpetua; ut tenent Doctores communiter *arg. cap. Odiâ 15. de Regul. juris in 6.* Item reservata non sunt vota castitatis, & Religionis ex metu etiam levi incusso emissa; ex gravi enim metu emissa non indigent dispensatione, sed per se irrita sunt. *Sic Commun. Doctor. arg. c. Veniens 5. Qui Clerici, vel voverentes*; & ratio est, quia talia vota non sunt omnino perfecta, cum voverentes principaliter ea non emiserint amore virtutis, nec principaliter intentione obsequium præstandi Deo, sed evitandi, & declinandi id, quod timerunt ab iniuste extorquentibus dicta vota. Tum quia non est præsumendum, voluisse Pontificem sibi reservare vota, quæ aliis debent esse facilis dispensationis, tum ob imperfectionem consensus voverentium, tum in odium iniuste illa extorquentium; ne videatur velle fovere iniquitatem, & injuriam illorum, ut esset, si vota ex metu iniuste incusso emissa reservaret.

82 Item non sunt reservata dicta vota, sed dispensabilia, ut supra, si non sint omnino certa. Unde quoties-

cumque adest dubium de eorum valore, sive dubium sit *Juris*, ut si dubium sit, an sint vere vota, an vera reservata? sive dubium sit *facti*, ut si dubium sit, an adfuerint in ipsis vera promissio, plena deliberatio, sufficiens intentio, & alia ad voti, & reservationis rationem necessario requisita, tum dicta vota, sive sint castitatis perpetuæ, sive Religionis approbatæ, sive trium præfatarum Peregrinationum, non sunt Papæ reservata; sed ab Episcopo, vel Confessariis Regularibus dispensabilia: *Communis arg. cap. Odiâ 15. de Regul. juris.* Et ratio est, quia reservatio, cum sit odiosa, & gravis, restringenda est ad casus omnino certos, plene voluntarios, & graviores; tum quia semper in dubiis benigniora præferenda sunt; *l. Semper 56. de Regul. juris.* Et in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justus, quam tutus; *l. Ea que 102. ff. eod. Et in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet, l. Si fuerit 100. ff. de rebus dubiis.* (Vide *lit. C. verb. Conscientia.*)

Item reservata non sunt dicta vota, sed ut supra dispensabilia, si non sint omnino determinata; Unde reservatum non est votum alternativum, seu disjunctivum, cujus altera pars reservata non est, ut si quis voveat vel castitatem perpetuam, vel perpetuum jejunium, Peregrinationem Romanam, vel elemosynam centum Flotorum. *Communis, arg. cap. In alternativis 70. de Regul. juris in 6. ibi: In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri, & l. in eo quod plus 110. ff. de Regul. juris 3. ubi: Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit alterum esse factum.* (Vide *verb. Alternativa.*) Et id verum est etiam si progressu temporis altera pars non reservata impossibilis fiat, & sic voverens determinate obligetur ad partem reservatam, quia id non provenit ex intentione voverentis, sed eventum per accidens, adeoque adhuc manet ut supra dispensabile. Si autem utraque pars esset reservata, ut si quis voveat perpetuam castitatem, vel Peregrinationem Hierosolymitanam, tunc votum esset reservatum, ut tenet Communis Doctorum, teste *La-Croix lib. 3. part. 1. num. 548. Vide verb. Jubilæum art. 2. num. 42. & 43.*

Item reservata non sunt dicta vota, sed ut supra dispensabilia, si non sint omnino absoluta; unde reservata non sunt vota conditionata pœnalia, ut si quis voveat castitatem perpetuam, Religionem approbatam &c. si se inebriaverit, vitiose luserit, si furatus fuerit & hujusmodi; tunc enim non solum ante, sed etiam post admissam culpam sunt ut supra dispensabilia dicta vota; Sic Doctores communiter contra paucos, teste *La-Croix loc. cit. num. 546. Sporer loc. cit. num. 63.* Et ratio est, quia talia vota valde deficient à natura perfecti voti; nam sic voverentes proprie non eligunt castitatem perpetuam, Religionem approbatam, & hujusmodi, sed potius metu obligationis servandi castitatem perpetuam, ingrediendi Religionem, volunt se deterrere ab inebriatione, à vitioso ludo, à furto &c. adeoque directe potius voverent se non inebriare, vitiose non ludere, non furari, & castitatem, ac Religionem velut penam refugium, talia enim vota pœnalia non tendunt in rem promissam directam voluntate primario, & per se ex affectu, & amore honestatis illius, sed solum tendunt in ipsam tamquam sibi penosam, & afflictivam cum aliqua aversione animi, ut sic timore incurrendi obligationem, præstandi rem promissam, id est, servandi castitatem perpetuam, ingrediendi Religionem &c. retrahantur voverentes ab inebriatione, vitioso ludo, furto, & similibus.

Sic etiam reservata non sunt dicta vota, sed ut supra dispensabilia, si sint proprie conditionata sub conditione de futuro accidentaria, non à natura, vel jure ipsis votis annexa. Ut si quis voveat Religionem, perpetuam castitatem &c. si convaluerit, si à naufragio evaserit, si talem inveniunt beneficium, vel officium obtinuerit, & hujusmodi; tunc enim ante impletam conditionem non esse reservata dicta vota tenent Doctores communiter, quia non sunt vota simpliciter, nec de facto obligantia, sed sub conditione in futurum. Conditionale enim nihil ponit in esse, nisi purificata conditione, & actus sub conditione non

impleta, nullum operatur effectum, *argum. §. Sub conditione 4. Instit. de verb. obligation. & l. Unica §. Si autem, Cod. de caducit. tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis; *l. Is cui, ff. de actionibus, & obligationibus, l. Legata sub conditione, ff. de conditione, & demonstrat.* (Vid. *supr.* & in quolibet contractu.)

86 An autem post impletam conditionem dicta vota evadant reservata, nec sint amplius ut supra dispensabilia? valde controvertunt Doctores: Layman enim *lib. 4. tract. 4. cap. 8. n. 10. Herincx disp. 5. de Voto q. 6. n. 62. Reiffenst. Theol. moral. tract. 4. dist. 3. num. 36.* cum pluribus aliis tenent, post impletam conditionem dicta vota esse reservata, nec amplius esse ab Episcopo, & Confessariis Regularibus dispensabilia, quia Vota conditionata, sicuti quicumque alii contractus, ac promissiones factæ sub conditione, ipsa conditione eveniente seu adimpleta, transeunt in absoluta, ac omnino perficiuntur, ac si sine conditione facta fuissent, *l. Portio 11. ff. Qui potiores in pignore.*

87 Contra tenent Sanchez *lib. 4. moral. cap. 40. n. 91. cum Sayro, Ledesma, Suarez, & aliis constanter pugnat dicta vota, nec etiam post adimpletam conditionem esse reservata, sed adhuc sicuti prius esse dispensabilia ab Episcopo, & Confessariis Regularibus. Sic tenent etiam Antonius Gomez in Bulla Cruciatæ clausula 10. num. 99. Toled. lib. 4. Summe cap. 8. num. 11. Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 34. num. 33. & seq. recedens à priori sententia, quam in sua theol. moral. loc. cit. reputat verat. probabilior, & hanc valde probabilem; & in praxi tutam censet Sporer loc. cit. num. 66. & esse frequentissima praxi virorum sapientissimorum receptam testatur Gomez *loc. cit. & Reiffenstuel cit. 2. 34. num. 33.* Immo sic tenere alios communiter cum Franc. Bellegambe de Jubilæo *part. 3. sect. 23. q. 2. testatur La-Croix lib. 3. part. 1. num. 547.* Et ratio vere efficax est, quia hujusmodi vota conditionata oriuntur ab imperfecto consensu, utpote dependente à futuro eventu conditionis. Adventus autem conditionis non facit, quin revera consensus fuerit imperfectus, nec ejus naturam mutare potest, cum nulla nova voluntas accedat; adeoque cum retineat semper primævam imperfectionem, etiam adimpleta conditione, tamquam vota imperfecta & voluntaria erunt, utpote non reservata, cum reservatio tamquam odiosa sit restringenda ad sola vota perfecte & plene voluntaria; *argum. cap. Odiâ 16. de Regul. juris in 6. Vide verb. Jubilæum, art. 2. num. 41.**

Auctor Summe Alexandrinæ, aliique viri docti confidenter pronunciant: *Si conditio impleta sit, ad Romanum Pontificem confugiendum esse in quinque votis, ut imperetur dispensatio*; nam illi absolute voverere illa conditione, eaque posita, Deo per hujusmodi votum sunt revera obligati; neque dici jure possunt imperfecte voluntaria hujusmodi vota, que passim majori animi fervore, ac maturiori cum deliberatione fiunt.

Satis multos non infirmi subseclii Auctores assero Ego pro asserta conclusione sub cit. num. 87. quamvis n. 86. immediate antec. allegaverim classicos Doctores contrarium tenentes. Unde ipsos revolvat prudens & eruditus lector, & pro quibus ratio militat luculentior resolvat.

88 Tum quia vota pœnalia etiam post impletam conditionem non sunt reservata, cum non sint perfecta, ex quo non fiant amore virtutis, seu materis promissæ, nec amore obsequium præstandi Deo, sed magis cum animi aversione, aut timore obligationis contrahendæ mens retrahatur ab illo vitio, v. g. se inebriandi, vitiose ludendi, jurandi, & hujusmodi, juxta dicta *supr. n. 84.* quod concedunt etiam ipsimet Adversarii; ergo ob eandem rationem nec vota conditionata sub conditione de futuro accidentali erunt reservata, cum ubi eadem est ratio, eadem sit juris dispositio; *leg. Ideo 27. ff. de Legibus l. Illud 32. ff. Ad Legem Aquilianam, & cap. In ter corporalia, de translatione. Episcop. (Vid. *lit. A. pag. 198. num. 15.*) Tum etiam quia vota pœnalia sunt magis perfecta, quam vota sub alia conditione v. gr. re-*

cuperandæ sanitatis, evadendi naufragium, obtinendi illud officium, & hujusmodi, adeoque si vota pœnalia etiam post impletam conditionem sunt dispensabilia ab Episcopo & Confessariis Regularibus, à fortiori post impletam conditionem erunt ut supra dispensabilia alia vota conditionalia, quia cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, textu expresso in *cap. Qui licet 55. de Regul. juris in 6. & Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*, textu expresso in *cap. Ex parte 27. de Decimis.* Quod autem vota pœnalia sint magis perfecta, quam alia dicta vota conditionalia, clare patet, quia ordinarie fiunt principaliter amore alicujus certæ virtutis, & odio alicujus certi vitii, sicque jam principaliter intentione placendi Deo, ac ipsum non offendendi, ut patet in eo, qui voverit perpetuam Castitatem, Religionem approbatam &c. si se inebriaverit, si vitiose luserit, si furatus fuerit, & hujusmodi, juxta dicta *supra num. 84.* Contra autem dicta alia vota conditionalia ordinarie non fiunt principaliter, nec amore alicujus certæ virtutis, nec odio alicujus certi vitii, sicque nec principaliter intentione placendi Deo, ac ipsum non offendendi, sed amore consequendi, aliquid bonum temporale, v. gr. sanitatem, officium aliquod, vel beneficium &c. vel evadendi aliquod temporale malum, ut naufragium, tempestatem, hoc vel illud periculum, sicque valde imperfecte, & consequenter vota pœnalia sunt magis perfecta, quam dicta alia vota conditionalia, adeoque &c. Vide dict. *verb. Jubilæum art. 2. num. 41.*

Quinimo addit cum aliis Diana *part. 6. tract. 8. 89. resol. 3. apud La-Croix loc. citat. num. 545.* etiam si aliquod tale votum conditionatum post impletam conditionem fuisset confirmatum, non ideo fore reservatum, quia confirmatio semper cadit super idem votum à principio conditionale, nisi nunc esset emissum independentem à primo voto. Vide dicta *supra numero 17. & 18. & dict. verb. Jubilæum articulo 2. num. 41.*

Notanter autem *supra n. 86.* fuit conclusum, quod dicta vota non sunt reservata, si sint proprie conditionata sub conditione de futuro accidentaria, non à natura vel jure ipsis votis annexa, quia sola illa vota conditionalia non sunt reservata, quæ facta sunt sub conditione mere voluntariæ adjectæ, mereque de futuro accidentaria, ut sunt vota *supra n. 85.* assignata. Vota autem conditionata conditione generatim, naturaliterve, aut ex dispositione juris ipsis votis annexa, non obstant tali conditione, adhuc remanent reservata, nec possunt à Confessariis privilegiatis dispensari. Sic votum Castitatis perpetuæ ab impubere editum, quamvis sit editum cum hac tacita, & naturaliter annexa conditione: *Sic pater consensit*, non potest à Confessariis privilegiatis dispensari, nec commutari, quamvis possit illud irritare suus pater, & in ejus defectu ipsius tutor, juxta dicta *supr. n. 16.* Item vota solemnia, & substantia Religionis sunt reservata, nec possunt à Superioribus, & Confessariis privilegiatis dispensari, quamvis habeant à jure annexam tacitam conditionem, qua Papa possit illa dissolvere. Sic recte Gobart *tom. 2. de voto num. 225. & 226.*

Non sunt reservata dicta quinque vota quoad circumstantias, vel qualitates aliquas accidentales à Voverente voto reservato adjectas; unde si quis voverit pederet peregrinari Compostellam, mendicando peregrinari Romam, seu voverit strictiorem Religionem, potest Episcopus, & Confessarius Regularis ex juxta causâ dispensare, ut equester, vel non mendicando peregrinetur, & ut aliam Religionem etiam laxiorem ingrediatur. *Herincx disput. 4. de voto quasi. 6. La-Croix lib. 3. part. 1. num. 550. cum Azorio, Sanchez, Castropal. Lessio, Illsung, Bellegambe, & aliis ibi citatis, Sporer loc. citat. n. 67. Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 34. num. 36. & ipso teste alii communiter. Et ratio est, quia sola substantia voti censetur reservata, *argum. citat. c. Odiâ 15. de Regul. Jur. in 6.**

Circa votum castitatis est specialiter advertendum, quod votum absolutum omnimodæ castitatis emissum, ab uno conjuge post consummatum Matrimonium ab-

BIBLIOTECA CENTRAL

que alterius licentia non est reservatum, quia non est perfecta, & omnimode castitatis, cum adhuc teneatur reddere debitum. Communis. Si autem sit dictum votum emissum ab uno conjugum cum consensu approbativo alterius conjugis renuntians Juri suo, aut ab utroque conjugum mutuo consensu per modum contractus, & conventionis irrevocabilis, est reservatum Summo Pontifici, cum sit votum continentia perpetua, ac integra, & omnimode; unde non potest ab Episcopo dispensari, nisi in aliquo casu gravis, & urgentis necessitatis. Communis.

94 Votum servandi perpetuam virginitatem non est reservatum, si Vovens cognovit differentiam inter Virginitatem, & castitatem, & solum dixit: Voveo virginitatem perpetuam. Tunc enim est tantum votum castitatis partiale, quia censetur vovisse tantum se abstinere a primo actu, quia perditur virginitas, & non ab omni actu, quo violari potest castitas; castitas enim violari potest tactibus, & osculis impudicis, ac omni morosa complacentia absque eo quod violetur virginitas, ac corporalis integritas. Si autem Vovens non cognovit dictam differentiam, uti communiter non agnoscunt juvenes, & puella, & dixit absolute: Voveo virginitatem perpetuam, est reservatum. Tunc enim est votum castitatis totale, cum pro eadem re in tali casu sumatur virginitas, & castitas. Moya tom. 2. distincti. 1. q. 2. num. 7. La-Croix loc. cit. num. 561. & in hoc sensu alii passim recte consulentes in similibus casibus esse diligenter explorandam intentionem, & cognitionem Votentium.

95 Si vero dubitet vovens, an emisit votum partiale, aut totale castitatis, tunc non erit votum reservatum, per dicta supra num. 82. de voto dubio quoad ejus valorem, & num. 83. de voto alternativo, cum in tali casu sit tantum certitudo pro voto partiali, aut totali; sicque tale votum disjunctivum relinquat Voventi libertatem eligendi quod volet, per Regulam 70. de Regul. Juris in 6. ibi adductam.

96 Cum quis, vel quae, voto continentiae jam emisso nulla obtenta dispensatione, culpabiliter contrahit Matrimonium, tale votum est dispensabile per Episcopum, ac Confessarios Regulares solum quoad petendum debitum, ac remanet firmum quoad alia, sicque talis vovens tenetur adhuc ad non se polluentium, non fornicandum, & ad servandam castitatem, altero conjugum mortuo. Communis.

97 Cum quis, vel quae ante contractum Matrimonium perpetuam Castitatem, vel Religionem perfectae vovit, tale votum est reservatum Jure ordinario Summo Pontifici. Communis. Episcopus autem potest in simili voto dispensare ratione gravis, & urgentis necessitatis, & impossibilis recursus ad Papam, & cum periculum est in mora. Sanchez lib. 8. moral. d. 10. num. 22. Navarr. in Manual. cap. 12. n. 76. Layman lib. 4. tract. 4. c. 8. num. 16. Sporer loc. cit. num. 74. Reiffenstuel loc. citat. num. 37. restans de communissima aliorum, argum. cap. Quoniam 13. caus. 1. quest. 7. dist. 1. cap. Omnes 1. de Ferris, cap. Consulisti 3. de celebrat. Missarum cap. Consilium 2. de observat. jejunior. ubi expresse dicitur: Cum non subjaceat legi necessitas, cap. Sicut 15. de consecrat. dist. 1. ibi: Necessitas non habet legem, c. Quod non est 3. de Regul. Jur. ibi: Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. (Lit. C. pag. 243. n. 17. & Lit. F. pag. 79. num. 13.) Et ratio est, quia non est presumendum, nec ullo modo credendum, quod Papa in tali casu necessitatis velit private quoad Ordinarios sibi reservare, cum dispendio boni communis animarum, potestatem a Christo Domino in bonum commune ipsarum animarum concessam: Hoc enim non esset consensum fini ejusdem reservationis, qui est ad evitanda scandala, pericula, & peccata, non autem ut eisdem irretiantur, & esse contra suam, & providam gubernationem Ecclesiae, quae potestatem suam gerere debet non in destructionem, sed in edificationem animarum, juxta illud Apost. ad Corinth. 2. cap. 10. num. 8. & cap. 13. num. 10.

98 Episcopus in simili necessitatis casu dispensare potest, quamvis Legatus Pontificius in Provincia sit. Suarez

99 Gravis autem, & urgens, ac sufficiens necessitas sic dispensandi in voto castitatis est, si ex dilata-

Matrimonii usque ad responsum Pontificis ex parte Voventis, seu inter contractores urget periculum incontinentiae, scandali, vel alterius gravis mali. Si Matrimonium differri nequeat sine gravi sponsi, vel sponsae, aut eorum familiae dedecore, si puella deflorata, prolesque nascenda infamanda sit, praesertim si deflorator sit mortui jam proximus, & nisi puellam defloratam, ac gravidam ducat, nascenda sit proles illegitima, & oritur timeantur graves discordiae inter cognatos, & his similia, de quibus late Doctores, & praecipue Sanch. lib. 2. de Matrimonio disp. 40.

100 Posse in simili gravi, & urgenti necessitate sic dispensare etiam Confessarios Regulares, tenet Herincx d. 4. de voto q. 6. num. 69. cum Bassaeo, & aliis ibi citatis, Crousers. in cap. 7. Regul. S. Francisci Lect. 29. Alviset de priviil. Regular. sect. 3. c. 5. §. 3. Chassaing. de Priviil. Regular. tract. 1. c. 5. proposit. 2. cum Casarubio, Lessio, Corduba, & aliis ibi citatis, Leander, & alii apud Moyam tom. 2. d. 1. quest. num. 17. Reiffenstuel lib. 3. decretal. tit. 34. num. 40. & seq. ubi id probat hoc sequenti non spernendo fundamento. Juxta communem etiam Adversariorum possunt Confessarii Mendicantes dispensare in omnibus votis, in quibus Jure ordinario dispensare potest Episcopus; atque hic potest Jure ordinario urgente necessitate dispensare in votis aliis reservatis, ergo & a Majorem concedunt Adversarii, patetque clare ex privilegiis: Minor probatur, quia Episcopus urgente necessitate, vel dispensat ratione officii, vel ideo quod in tali casu non censetur reservatum, vel vi universalis consuetudinis, per quam constat Episcopum urgente necessitate posse dispensare: Quocumque tandem modo dispenset, Jure ordinario dispensat, & quidem si primo, & secundo modo, non est dubium; si tertio modo, vi consuetudinis nempe, inde patet, quia consuetudo dat Jurisdictionem ordinariam, prout pluribus demonstrat Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 1. & diximus in lib. 1. Decret. tit. 29. de Offic. & potestas. Judicis Delegati num. 11. argum. l. More majorum & l. Et quia. ff. de Jurisd. omnium (Vid. verb. Jüdex, & Jurisdicção, cum verb. Consuetudo) Confirmatur: Jurisdicção, & potestas, qua Episcopi urgente necessitate in votis dispensant, non est delegata, ergo ordinaria. Probatur antecedens: Jurisdicção delegata est, quae nec ex Legge, nec ratione officii, nec ex consuetudine, sed ex speciali commissione alterius competit, uti cum communi dictum est cit. l. 1. Decret. tit. 26. de Offic. & potestas. Judic. num. 12. Atqui nullibi in toto Jure haec specialis commissio Episcopis tamquam delegatis facta ostendi potest, ergo cum nihilominus dispensent, Jurisdictione, seu Jure ordinario dispensare censendi sunt, Haecenus ille, & quidem vere probabiliter.

101 At vero contrarium docet teste La-Croix lib. 3. part. 1. num. 563. communissima cum Suarez, Sanch. Barbosa, Henric. Laym. Rodriguez, Fagundes, Miranda, Lezana, Castrop. Tambur. lib. 3. cap. 16. §. 4. num. 49. Burgaber centur. 3. cas. 32. Moya loc. citat. num. 22. Sporer loc. cit. num. 55. & 74. Henno tom. 1. tract. 4. in decalog. disp. 1. quest. 3. de voto arc. 3. Petrus 4. quia omnes Doctores antiqui concedentes Episcopis ex praesumpta licentia Papae hanc potestatem extraordinariam, negant reliquis Confessariis, & Mendicantibus pro tempore Jubilaei. Hinc in Bullis Jubilaei, & privilegiis Mendicantium expresse solent excipi vota illa; privilegia enim Regularium Mendicantium, quod possint dispensare in votis, in quibus possunt Episcopi, intelligi debent de his solis votis, in quibus dispensare possunt Episcopi Jure ordinario, ideoque proprie episcopales sunt; non autem de his, qui per se Papales sunt, & tantum per accidens ratione urgentis necessitatis, & moralis impotentiae adendum Pontificem, ad Episcopum tamquam ordinarium post Pontificem Pastorem devolvuntur. Sicque talis potestas dispensandi fundatur in Jurisdictione Ordinaria, quam habent Episcopi, & non Mendicantes.

102 Episcopus in simili necessitatis casu dispensare potest, quamvis Legatus Pontificius in Provincia sit. Suarez

103 rez lib. 6. cap. 26. num. 10. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 9. num. 25. & lib. 4. moral. cap. 40. num. 38. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 8. num. 17. Sporer loc. cit. numer. 72. & alii contra Aragonum, Rodriguez, & alios. Et ratio est, quia Legatus Papae, quamvis a Latere sit, ordinario Jure non habet majorem dispensandi potestatem, quam Episcopus; adeoque potest Vovens in tali necessitatis casu pro obtinenda dispensatione in Voto reservato adire libere quem maluerit, Episcopum nempe, vel Legatum Apostolicum.

104 Si autem Legatus Apostolicus specialem commissionem, & facultatem habeat dispensandi in votis reservatis, vel lege Pontificia, aut absolventi a censuris Papae reservatis, tunc dispensare in ipsis non potest Episcopus. Et ratio est, quia Episcopus in dictis casibus dispensare, aut absolvere potest solum ratione urgentis necessitatis, quae ratio cessat, si adiri possit aliqui speciali praeditus ad id facultate, cum cessante causa cesset effectus, cap. Cum cessante 60. de appellat. & cessante ratione, & causa legis cesset ipsa lex l. Adigere 6. §. 2. ff. de Jurepationat. Ratio enim legis est anima legis: l. Cum ratio 7. ff. de bonis damnator. (Vid. supra) Sic tenent Navarr. in Manual. cap. 27. num. 90. Sanchez cit. disp. 9. num. 45. & cit. cap. 40. num. 38. Lessius lib. 2. cap. 40. dubit. 13. num. 106. Suarez cit. cap. 26. num. 15. Layman loc. cit. num. 17. vers. Posterior vero, Sporer loc. cit. num. 72. & alii contra Henriquez, Avilam, & alios.

105 Votum Sacros Ordines suscipiendi non est reservatum, quia est tantum votum vovendi castitatem, & necdum castitatis, adeoque dispensari potest ab Episcopo, & Confessariis Regularibus. Henriquez, Sa, Azor. Suarez, Less. Sanchez, Castropal. Diana, Illsung. Bellegamb. citati, & secuti a La-Croix loc. cit. num. 552. & alii passim.

106 Circa votum Religionis est specialiter advertendum, quod ut sit reservatum, debet esse absolutum, & perfectum Religionis a Sede Apostolica approbatum non est reservatum. Communis.

107 Votum ingrediendi Religionem S. Joannis Hierosolymitani est vere reservatum, quia ipsa est vera Religio, in qua emittuntur tria vota solemnia paupertatis, castitatis perfecta, & obedientiae. Communis.

108 Votum autem ingrediendi alias Religiones Militares, ut Equitum S. Jacobi, Alcantarae, Calatravae, & hujusmodi, non est reservatum, sed potest dispensari, & commutari: Et ratio est, quia de illis est dubium an sint vere Religiones, & d. Equites emittunt votum castitatis imperfectae, videlicet votum conjugalis. Communis.

109 Votum ingrediendi Religionem strictiorem non est reservatum, quoad circumstantiam strictioris. Unde potest cum justa causa dispensari ab Episcopo, vel Confessariis Regularibus, ut in aliam etiam laxiorem ingrediatur. Communis, per dicta supra num. 91. Tale autem Votum nequit postea irritari a Superiore Regulari, quia Religiosus quoad hoc subiacet soli Summo Pontifici, textu expresso in cap. Licet 18. de Regularibus. Vide supra num. 23.

110 Votum perseverandi in Religione probabiliter non est reservatum, quia non est Religionis in se, sed circumstantiae, quae non reservatur. Unde si qui sic vovit, & experitur in Novitatu illum statum non sibi convenire, poterit ejus votum dispensari, vel commutari. Sic La-Croix loc. cit. num. 596. cum Sanchez, Fagundes, Mald. Diana, Trullench. Bellegamb. & Lessio ibi citatis, & alii plures.

111 Qui votum ingrediendi Religionem, si nequeat continentiam servare, nec detur recursus ad Papam, vel Delegatum, & adsit periculum in mora, potest ratione hujus gravis, & urgentis causae dispensari ab Episcopo in voto ingrediendi Religionem: Sic expresse La-Croix loc. cit. num. 507. se referens ad num. 563. ubi testatur sic tenere Sanchez, Lessium, Garciam, Lessio, Dianam, Pasqualig. Silvestr. Navarr. Henric. Valer. Sa, Suarez, Laym. Castropal. aliosque cum Cardena in 1. Criti disp. 79. n. 17. Vide supra n. 98. & 99.

112 Circa Votum trium Peregrinationum, nempe Hierosolymitanae, Romanae, & Compostellanae, est specialiter advertendum, quod non sunt reservata, nisi emissa sint devotionibus causa. Unde si edita sint ob alium finem v. gr. ad impetrandam absolutionem ab aliquo peccato, ad osculandos pedes Pontificis, & hujusmodi, dispensari possunt ab Episcopo, & a Confessariis Regularibus. Si vero quando quis aliquam ex dictis Peregrinationibus vovit, alium finem expresse non cogitavit, praesumendum est vovisse devotionibus causa, adeoque esse reservatum; Felix Potestas tom. 1. part. 2. numer. 2007. La-Croix loc. cit. num. 570. cum Tamburin. & Illsung. ibi allegatis.

113 Materia subrogata pro voto reservato potest ex justa, & rationabili causa dispensari, vel commutari ab Episcopo, & Confessariis Regularibus. Unde si Papa commutaverit v. gr. votum perpetuae Continentiae in perpetuum jejunium, tunc perpetuum jejunium potest dispensari, vel commutari, cum reservatio prioris voti, utpote odiosa, non debeat extendi ad materiam subrogatam. Nec obstat, quod subrogatum sapiat naturam ejus, cujus loco subrogatur, cap. Ecclesia 3. Ut lite pendente, cum similibus, quia hoc valet solum in favorabilibus, & non in odiosis, & in hoc casu arg. cap. Odia 15. de Reg. Jur. in 6. Sic Communis Theologorum recte tamen monentium, quod petens dispensationem, vel commutationem materiae subrogatae voto reservato debeat explicare ipsum votum, ut Dispensans, vel Commutans gravitatem vinculi cognoscatur, ne plus aequo temere de tali materia remittat.

114 Quoad dispensationes votorum, Episcopi, & Confessarii Regulares in quibusdam conveniunt, & in quibusdam differunt. Conveniunt in hoc, quod utriusque possunt vota dispensare, vel commutare etiam extra Sacramentum Confessionis, immo etiam cum absentibus; nullo enim Jure horum facultas reperitur restricta ad solum forum Sacramentale, ut recte notant Sanchez lib. 4. moral. cap. 43. Sporer loc. cit. num. 79. La-Croix lib. 3. part. 2. num. 507. cum Tamburin. & Bellegamb. ibi citatis, & alii. Vide verb. Jubilaeum art. 2. d. n. 64. ad 67. Differunt autem in hoc, quod Episcopi possunt suam potestatem dispensandi, vel commutandi vota aliis delegare, quia in ipsis haec potestas est ordinaria; Confessarii Regulares vero id non possunt, quia sunt Delegati ex privilegio, & Delegatus non potest subdelegare, nisi in delegatione exprimat capiti. Quoniam 43. §. Ceterum, de Officis Delegati. (Vid. verb. Delegatus) Item differunt in hoc, quod Episcopi dispensare possunt in quinque votis, cum urgent necessitas, ac magna causa; & impossibilis est recursus ad Papam, & periculum est in mora. Confessarii Regulares autem id non possunt iuxta communioem sententiam traditam supra num. 101. B contra tamen Confessarii Regulares suam dispensandi in votis facultatem exercere possunt circa omnes Fideles ad ipsos undecumque venientes, quia ipsi agunt nomine Summi Pontificis totum Orbem pro sua diocesi habentis. Episcopi autem non possunt se extendere extra suos Diocesanos, quia agunt per suam Jurisdictionem in sola diocesi restrictam.

115 Commutatio voti (quae est quartus modus, per quem tollitur obligatio votorum) est translatio obligationis a materia voti prius facti in aliam materiam prioris subrogandam. Est in re Communis, arg. cap. De peregrinationis Votis 1. cap. Scriptura 4. cap. Magna 7. cap. Quod super 8. cap. Ex multa 9. de Voto, & Voti redemptione.

116 Talis voti commutatio fieri potest, vel in opus melius, vel minus bonum. Communis ac certa, & clare patet ex infra dicendis.

117 Commutatio voti in opus manifeste, & evidenter melius potest fieri etiam ab ipso vovente proprio arbitrio, & auctoritate absque ulla causa. Sic jam Communis, & hodie receptissima Doctorum, testibus Reiffenstuel cit. lib. 3. Decretal. tit. 34. num. 44. Sporer loc. cit. num. 81. Sanchez lib. 4. moral. cap. 49. num. 4. Suarez lib. 9. de voto cap. 18. Less. lib. 3. cap. 40. num. 101. contra varios graves antiquos Doctores volentes ad id re-